

בשם יהוה  
DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
EX POLITICIS

De

1662 30 4  
12 13 1  
NOMOTHESIA,

Seu

POTESTATE LEGISLATORIA.

QUAM

In Illustri ad Albim Academia

Sub PRÆSIDIO

VIRI Clarissimi atq; Doctissimi

4  
DN. M. GEORGI MEIERI, Lunæb.

Colleg. Philosoph. Adjuncti meritissimi, Fautoris  
& Amici ætatem colendi ac de-  
venerandi,

publicæ ventilationi


exponit

M. JOHANNES POLUS,

Revaliâ - Livonus,

Autor & Resp.

d. 9. Julij, H. L<sup>q</sup>. C.



WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt.

ANNO M DC LXII.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

co  
co  
fi  
ph  
D  
ea  
ci  
it  
E  
ta  
in  
m  
L  
lu  
A  
tu  
p  
g  
f  
e  
i  
h  
x  
o



ATRIUM.

**S**icut duo sunt, monente *lib. 12.*  
*de Rep. Platone*, præcipua humanæ socie-  
tatis vincula, Religio & Justitiæ administra-  
tio: ita non malè ad fundamentum posterius  
duo dicimus requiri media, alterum, quo iusto  
titulo comparetur, nempe arma: alterum quò  
conservetur, legum sc. bonarum custodia. Leges præprimis ad  
conservandam Remp. adeò sunt necessariæ, ut sine illis Resp. non  
sit Resp. Si enim abrogantur leges, & cuivis tentandi, quicquid  
placuerit, data sit licentia, facile pessum ibit Resp. Benè *lib. 7.*  
*Dionys. Halicarnassæus*: Ex quâ civitate jura & leges expelluntur, in  
eam seditio bellumq; ingredi solet. Hinc Lex à Cicerone rectissimè  
civitatis dicitur anima. Ut namq; corpus carens animâ cadit:  
ita Resp. nullis administrata legibus, est mortua ac corrupta.  
Et hoc est, cur observante *in lib. 5. Laërtio* Aristoteles crebrò  
taxaverit Athenienses, quòd cum duas res, frumenta ac leges  
invenissent, frumentis uterentur, legibus nequaquam. Eodem  
modò Cyrus interrogatus, quosnam putaret esse injustos?  
Lege, inquit, non utentes. Et licèt Remp. Aborigenum *Sal-*  
*lustius* bello Catilin. & *Tacitus lib. 3. Annal. c. 26.* ita etiam Remp.  
Atheniensium *Justinus lib. 2. cap. 7.* sine legibus fuisse testen-  
tur: tamen quando in unius populi corpus coalescere nullâ re  
præterquam legibus poterant, & è contrario summa harum  
gentium everfio erat metuenda, Aborigenibus, velut Romæ  
fundamento, jus dedisse legitur Romulus, apud *Livium lib. 1.*  
*cap. 8.* Atheniensibus verò Solon, qui loquente *Justino l. c.*  
legibus suis novam quasi civitatem condidit. Nimum ergò,  
id est, nihil sapiunt, qui solam rationem hominibus inditam  
hîc sufficere arbitrantur, aut scientiâ Magistratus cuncta di-  
rigi posse, sine legibus, sunt persuasi. Certè aliud docent  
casus in Rep. indies variabiles, nec non plurima ad malum

incitamenta, & seducendo hominum animos voluptates, ut natura penitus sæpe iis corrupta nihil boni efficiat. Neq; tanta Magistratui semper adscribenda venit sapientia, ut sine legum adminiculo dijudicare omnia possit. *Neceffe est*, inquit lib. 4. de legibus Plato, *hominibus ponere leges, ut secundum eas vivant, alioquin nihil à feris discreparent.* Rectè itaq; tùm Politici, tùm JurisConsulti inter majora Majestatis jura legislatorum numerant munus, idq; à frontispiciò statim collocant. Primum hoc & præcipuum Majestatis caput esse testatur *Bodinus lib. 1. cap. 10. num. 133.* De quo uberius paululum acturi, Te, Jehovah, summum bonarum legum & Autorem & Fautorem, ut propitius adsis, supplices rogamus!

Sit ergò

## Sectionis I.

### Theorema I.

**P**otestas legislativa est jus Majestatis, quo is, penes quem est summa potestas, ordinem in Remp. vel novarum legum sanctione introducit, vel introductum antiquarum legum abrogatione, aut bonâ interpretatione emendat, atq; conservat, ut omnia ad Reip. Salutem dirigantur.

Ἐπιθεσις.

§. 1. Naturam potestatis leges ferendi explicaturi, quam *Νομοθεσία* appellat Philosophus, alii potestatem *νομοθετικὴν*, variam prænotamus vocabuli acceptionem. Nimirum *Legislatio* vel *potestas legislativa* hoc in loco non accipitur 1. *In sensu Rhetorico*, prout notat exercitium Progymnasticum, quò legis promulgatio suadetur aut disuadetur, confirmatur aut confutatur. Neq; 2. *in sensu*, ut nonnulli loqui amant, *Juridico*, quatenus legum abrogationi & interpretationi contradistinguitur, solamq; notat legis præscriptionem ac promulgationem. Sed 3. *in sensu Politico*, pro jure Majestatis, quo ordo in Remp. per bonas leges vel introducit, vel introductus emendatur & conservatur. Et hæc ratione involvit non tantum legum præscriptionem & promulgationem, quâ sine nulla fit obligatio, sed & interpretationem & abrogationem.

nem. Ubi & illud observandum venit, per vocem *Potestatis* h. l. à nobis indigitari non tam *δύναμιν* seu potentiam, quàm *ἐξουσίαν* seu potestatem, quæ dicitur ipsum jus & qualitas moralis personæ competens ad aliquid justè agendum. Quia habere aliquis potestatem dici potest, licèt careat idem potentia. Sic claudo quidem non denegatur eundi per domum alterius potestas, sed ipse potentia eundi est destitutus. Ita Dominus fundi habet potestatem inædificandi, idè tamen non statim habet potentiam, utpote quæ est penes architectum. Ita quoq; circa leges alii potest competere potestas, alii potentia. Hæc viri est prudentis & legum formandarum periti, illa verò est ejus, qui habet τὸ κύριον. Rectè tamen hic notat Excell. D. Caspar Zieglerus in Exercit. 3. de Juribus Majestatis §. 19. quòd hæc ita de *δυνάμει* & *ἐξουσίᾳ* disputata, non eò sint extendenda, ut facultates istæ pro pugnantibus & incompatilibus habeantur, cùm contingere possit, ut unus idemq; & *δύναμιν* seu potentiam habeat & *ἐξουσίαν* seu potestatem. Sic v. gr. potest & Dominus fundi esse architectus, & potest princeps rerum civilium tam esse peritus, ut leges formare possit ipse.

§. 2. Evoluto nomine, transimus ad explicationem rei, quam conceptus partim genericus, partim differentialis absolvit. *Conceptus genericus* est Jus Majestatis. Ubi statim observandum, *Νομοθεσίᾳ* hîc à nobis definiri *non absolutè*, quatenus describi à nonnullis solet sanctio legum à Magistratu facta, ut Resp. rectè administraretur & subditi in officiis retineantur: verùm *respective*, quatenus ad regalia reducitur, utpote inter quæ primum tenet locum, tanquam certissimus Majestatis character. Est E. hoc *prædicatum*, jus Majestatis, *genericum*, tùm, quia *essentiale est*, siquidem potestas legislativa ex naturâ Majestatis fluit immediatè, & ad ejus pertinet essentialia; tùm quia *latius est*, pluribus, ut sunt Jurisdictio, Magistratum creatio, Extrema provocatio &c. & nomen & definitionem communicans. Sciendum enim est, ut monet in Polit. Sect. 2. cap. 5. §. 4. Excell. Dn. D. Michaël Wendelerus, *Majestatem esse totum potestativum, id est, ex variis partibus*



aggregatum. Partes autem illius nihil aliud sunt, quam summe  
variis in rebus potestates.

Differentia  
exhibet  
1. Subjectum

2. Objectum  
sunt leges.

§. 3. Conceptus differentialis exhibet (1.) *Subjectum*,  
quod in thesi ponitur Resp. In hanc siquidem ordo per legis-  
lationem vel est introducendus, vel introductus certâ ratione  
conservandus. Remp. verò ponimus *Subjectum primarium*, sub-  
ditos autē *secundarium* includentes. Subditi enim sunt, qui per  
*Nomothetiam* in officio debent contineri, utpote quos illa obli-  
gat, vel ad obedientiam vel ad pœnam. (2.) *Objectum*, quod  
est Lex, seu jus, non verò pactum. *Pactum* namq; est *promis-  
sum*, *lex mandatum*. In *pactis*, *faciam*, dicitur, in *legibus*,  
*fac*. *Pactio obligamur*; *lege obligati tenemur*. *Pactum obligat  
per se*, *lex obligatum tenet virtute pacti universalis de præstandâ  
obedientiâ &c.*

§. 4. Variè autem vocabulum Legis & Juris à Politicis so-  
let explicari. Vide inter alios dissertationem B. D. *Balthasaris  
Meisneri*. Nos pro instituto nostro dicemus saltem breviter,  
quæ hîc leges veniant intelligendæ. Non 1. *Leges divinae*, cum  
ipsa etiam *Majestas*, cui hæc, de quâ tractamus, potestas legis-  
latoria adscribitur, legibus divinis sit subjecta, quæq; ideò  
totam potestatem excedunt. Neq; 2. *Leges naturales*. Has  
namq; humanum respuere imperium notum est, cum per se  
nihil sint aliud, quàm participatio & impressio quædam legis  
illius æternæ, quæ est in creatore DEO, ut loquitur in citatâ  
Exercit. 3. de Juribus *Majestatis* §. 7. Excell. D. *Caspar Zieglerus*.  
Neque 3. *Leges juris gentium*. Hoc quippe jus non ex  
jussione cujusdam *Majestatis*, in omnes populos exercet im-  
perium, sed ex tacito quodam populorum consensu traxit ori-  
ginem. Et licet negetur, quod solus consensus absolvat for-  
malem *juris gentium* rationem, cum non sit universalis, neq;  
certum adeò sit, an pleriq; consenserint tam arcto vinculo, &  
tandem, quia consensus in dissensum permutari facilè potest,  
adeoq; superaddatur perpetuitas *juris gentium* & obligatio,  
omnes vel ad observationem, vel ad pœnam obstringens,  
tamen taliter acceptum jus gentium nondum pertinet ad ob-  
jectum *Potestatis Legislatoriæ*, cum non unius subjaceat ar-  
bitrio.



birtio. Neq; 4. *Leges fundamentales*, huc sunt revocandæ, quia tales modum imperandi imperantibus definiunt, ne dicam, quòd pacta potius & conventiones, quàm leges appellentur. Sed 5. *Civiles*, administrationem Magistratus concernentes. Hæ Potestati Legislatoriæ sunt accommodæ, & in illis *Fac* seu *mandatum* expressè habetur. Bene l. c. ex Ludovico Molina Excel. D. Zieglerus: Obligatio juris Positivi oritur à præcepto, & se diffundit in objectum, cùm obligatio juris naturalis oriatur à natura objecti, & sese diffundat in præceptum. Illa sequitur præceptum, hæc antecedit, illa malam æstimat rem, quia prohibita est; hæc quia mala est, & ideò prohibet. Hinc non malè definitur lex civilis jussum à summâ potestate promulgatum, definiens quo pacto unumquodq; in civitate sit agendum. Quales autem hîc leges intelligantur ex infrâ dicendis patebit.

§. 5. Conceptus differentialis (3.) Exhibet *causam*, quæ est vel Efficiens, vel finis. *Efficiens* est Magistratus summus. Hinc in regno Potestas ferendi leges est penes Regem, in Aristocratiâ penes Optimates, in Politiâ penes Populum. *Nam congregatur populus pro legibus ferendis, & pro his quæ ad Reip. statum pertinent*, ut habet quarto Politicorum c. 14. Aristoteles. Legis E. condendæ auctoritatem nemo nisi Magistratus habet, quia ferre legem, non est eam excogitare, describere & concinnare, sic enim ad *δύναμιν* tantùm spectat, & ad Prudentiam jurisperiti; sed est eam jubere & publicâ auctoritate in Remp. introducere, id quod ei soli convenit, qui summum tenet imperium & propter id *ἐξουσίαν*. Aliud E. est legem ferre: & aliud de lege ferendâ cogitare. Vel ut ab aliis effertur: Aliud est auctoritate suâ efficere, ut aliquid lex sit: & aliud deligere ac proponere aliquid, quod si sanciat, lex esse possit. Prius spectat ad jura Majestatis, non verò posterius, utpote quod illis etiam competit, qui sunt ab illorum consiliis, penes quos est potestas legem jubendi. Proinde accuratè distingvamus oportet Auctorem legum à Latore. *Auctor* dicitur qui leges æquisimas & convenientissimas excogitat: *Lator* legum verò easdem populo præcipit observandas, nisi tamen ipse valeat ingenio, ut absq; alterius ministræ-

nisterio & legem invenire & inventam promulgare possit.

§. 6. Excipiat aliquis, quòd non tantùm illi, qui habent *ἐξουσία*, sed & illi, qui saltem habent *δύναμις*, vocentur Legislatores. Ita olim Draco, Solon, Lycurgus apud Athenienses & Lacedæmonios dicti sunt legislatores, & etiãnum hoc titulo insigniuntur, licet non *ἐξουσία* fuerint præditi, ob regimen, quod penes utrumq; populum erat Democraticum. Verum enim verò sicuti non infrequens hoc nobis est, ut rei cujusdam auctori aut suasori adscribamus nonnunquam rem ceteroquin nihil planè ad eum pertinentem: ita & hâc in parte istorum nomine leges ab ipsis conscriptas cohonestamus, non quod aliqua ipsis adleratur *Νουθεσία*, sed quod acceptâ à populo legum ferendarum potestate, auctores eidem extiterint, ut auctoritate suâ leges latas valere juberent. *Scripserunt ergò illi leges non præscripserunt* ( ut iterum hâc de re bene judicat laudatus D. Zieglerus ) *proposuerunt, quod, si sanciretur, lex esse potuit; non verò jusserunt, nec etiam auctoritate suâ, ut lex esset, efficere potuerunt.* Hoc enim voluntatis, illud intellectus est. Hoc præter eum, qui τὸ νόμον habet, potest nemo: illud etiam alij merè subditi.

Legislatoris  
adjuncta.

§. 7. Huc referri possunt *adjuncta* Legislatoris propria, ut sunt 1. *Pietas*. Hæc, secundum Tullium, omnium Virtutum est fundamentum, quâ sublatâ, fides etiam & societas humani generis, & unâ excellentissima virtus, Justitia tollatur necesse est. Et certè nihil ab iis proficisci quicquam boni potest, qui religionem susq; deq; habent. 2. *Vitæ integritas*. Hæc omnino facit, ut legibus suis auctoritatem concilient Legislatores. *Oprabilius est, ut lib 2. ep. 26. pag. 133. judicat Manutius, ut iniqua legi præsit optimus Magistratus, quàm ut improbus æquissima.* Nam, si summam potestatem cum optimâ mente jungas: vir bonus in jure dicendo, præter æquabilitatem & justitiam nihil spectabit. Breviter:

Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum;  
Et quem propriæ damnant leges, ejus nec auctoritatem nec leges venerantur. 3. *Prudentia & Sapientia*. Legis enim anima ratio est & sapientia. Lex sine ratione nomen legis haud meretur. Unde

Unde sapientibus ea demum jussio publica lex vocatur, quæ est recta ratio imperandi ac prohibendi, lux nempe illa mentibus à Deo indita. Observarunt hoc olim Legislatores, qui ut legibus suis conciliarent auctoritatem, divinitus sibi esse inspiratas, sunt professi, uti illud de Minoë Cretensium, de Zeleuco Locrensi, de Lycurgo Lacedæmoniorum, de Numâ Romanorum Legislatore referunt historici. Vide sis *Adam Conzen lib. 5. de Rep. c. 5.*

§. 8. *Finis* est vel *generalis*, nempe salus Reip. quia ideò bonæ conduntur leges, ut Resp. inde patiat incrementum, dum per legem vitia, quæ omne augmentum supprimunt, eradicantur. Innuit hoc Tullius, quando lib. 2. de LL. *constat profectò, inquit, ad salutem civitatumque incolumitatem vitamq; omnium quietam, & beatam condita esse leges: vel Specialis*, Retentio scilicet subditorum in suo officio. Sunt quippe ex malis moribus bonæ leges natæ, quibus veluti frenis hominum improbitas regenda est & coërcenda, idq; eò diligentius, quomagis vitiosa subditorum vita administrationem Reip. legitimam sufflaminat & turbat atq; dilacerat, cui malo non melius certè paratur remedium, quàm si Magistratus certam vivendi normam præscribat, & tales ponat leges, quibus subditi vel ad obedientiam vel ad pœnam obligentur.

*Theorema II.*

*Νομοθεσία* vel concernit res Ecclesiasticas: vel civiles.

*Ἐκθεσις.*

§. 1. Cùm sine omni omnino religione Resp. & esse & conservari nulla possit, Magistratus summus non civitati tantùm, sed & Ecclesiæ suo modo imperare tenetur. Ecclesia quippe in Rep. est, adeòq; & huic, non secus ac civitati, Majestati leges præscribere convenit. Neq; inficiari quisquam poterit ad conservationem Reip. plurimùm facere religionem & cultum divinum, quò posthabitò facta & salva diu persistere Resp. nequaquam potest. Quòd si quis cum cæcis gentibus apud Ciceronem lib. 1. de naturâ Deorum, statuat totam de Deo immortalis opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus Reip. causâ, ut quos ratio non posset, eos ad officium religio

B

ligio

*Finis.*



ligio duceret, ille ne ex Christiano ipse fiat gentilis periculo-  
fissimâ *νεστυμορφώσεσ* videat. Verum quidem est, nullum pla-  
nè consilium, aut orationem persuasoriam tantam habere ci-  
ves in officiò continendi efficaciam, quantam Religionem, in-  
de tamen non inferendum statim est, opinionem de immortali  
DEO à sapientibus esse fictam. Exteriùs sanè & interiùs DEUM  
esse sentimus & deprehendimus, ut ideò non opus sit, quan-  
dam de DEO fingere opinionem in gratiam Reipubl. Notan-  
ter autem addidi suprâ, sine omni religione nullam consistere  
posse Remp. Licèt enim Gentilium Resp. fuerint sine reli-  
gione ex lumine S. Scripturæ haultâ, non tamen sine illâ, quæ  
ex lumine naturæ proficiscitur. Et meliori certè in statu fu-  
issent, si veræ religionis ex scripturis petita fuissent participes,  
pro quo beneficio nostrum est DEO maximas agere gratias, pi-  
isq; instare precibus, ut in nostris Politis illam, ad extremum  
usq; iudicii universalis diem, puram & incorruptam conserva-  
re haud dedignetur.

*Νομοθεσία  
Ecclesiasti-  
ca.*

*Civilis.*

*Interpreta-  
tio legis.*

§. 2. Accedimus ad *νομοθεσίαν circa res Ecclesiasticas  
occupatam.* Talis autem illa est potestas, quâ summus Magi-  
stratus ordinem in Ecclesiâ constituit, vel emendat, præscri-  
bendo leges de externâ Religionis curâ & divini cultus officio.  
Contrâ *νομοθεσία civilis* est potestas, quâ summus Magistratus  
constituit vel conservat ordinem civitatis strictè sic dictæ. An-  
te omnia verò in legibus civilibus condendis respiciendum  
tum ad numerum, tum ad interpretationem. Numerus, si  
potest fieri, non sit adeò magnus. Nam sicut multitudo Me-  
dicorum arguit afflictam civitatis valetudinem, ita multitudo  
legum corruptum arguit Reip. statum. Hinc Tacitus lib. 5.  
annal. c. 17. num. 1. *In corruptissimâ, inquit, Rep. plurimæ dantur  
leges. Neq; etiam cum casus sint innumeri, de singulis singule pos-  
sunt aut debent fieri leges.* Sed lex generaliter & ita perspicuè  
est formanda, ut adplicari ad similia possit, vel interpretatio-  
ne, vel suppletionem, vel supremi Principis constitutione. *Inter-  
pretatio legis* ita potest institui, ut (1) Si vox sit ambigua, ea  
potius attendatur significatio, quæ caret vitio. (2) Ut beni-  
gnior sententia præferatur, (3) Ut in explicandis posterioribus  
adhi-

adhibeantur priores, in prioribus posteriores. Solet autem divi-  
di interpretatio *in authenticam*, quæ fit autoritate ipsius Legis-  
latoris, qui ut ferre, ita & interpretari pro autoritate legem po-  
test, ita ut interpretatio illa legis vim obtineat: *in usualem*, quæ  
petitur ex usu, observantiâ & consuetudine legum: & in *doctri-* *Mutatio &*  
*nalem*, quæ fit à Jurisperitis. Mutatio & abrogatio legum i- *Abrogatio*  
tidem fieri autoritate Legislatoris potest, sed tamen neutra te-  
mere & absq; urgentibus causis est tentanda, cum secus, ut te-  
statut ipse Aristot. lib. 2. Polit. c. 8. vis legis infirmetur. In-  
terim pro diversâ Reip. conditione legem tolli aut mutari o-  
ptimè posse, rigorem illius mox intendendo, mox remittendo,  
non malè statuere & Politicos & Jureconsultos arbitramur.

## Sectio II. Problematica.

### Problema I.

*Quis primus fuerit Nomotheta? Resp.*

§. 1. Altioris res indaginis est, quæ sui Sectatores in-  
salebres delabi cogit. Nos, ne quid vel temere, vel timide, *Status con-*  
ponamus, ad statum controversiæ, pauca prænotamus. 1. *Non*  
*loquimur de hac vel illâ societate humanâ privatâ; sed de societate*  
*inter homines publicâ.* 2. Lex sumitur *vel latè*, pro quovis supe-  
rioris statuto de instituendis actionibus; quâ ratione etiam  
Paterfamiliâs legem ferre dicitur, cum familiæ suæ has vel illas  
regulas præscribat: *vel strictè* pro decreto Majestatis publico,  
& sic non nisi Magistratus in Rep. summus Legislator esse po-  
test. Non de priori quæstio est; sic enim dubio procul Ada-  
mo homini primo prima inter homines *vouoθεσία* erit adscri-  
benda. Quis enim dubitaret, quin ille familiam certis adstrin-  
xerit legibus, cum primis cum illa augetur & incrementum  
sumeret. Non ergo, ut diximus, de hoc, sed posteriori signi-  
ficatu hæc nobis sermo est. 3. Non loquimur de *lege divinâ*,  
quam ipse tulit Deus, sive naturalis audiat, divinitus naturæ  
humanæ implantata, sive moralis in decalogo comprehensa,  
sive ceremonialis populo Judaico de sacrificiis & toto cultu  
tradita: sive forensis vel judicialis, præscripta, quomodo in  
causis controversis & decretis populi Judaici fuerit judican-  
dum,

dum; sed de humanâ, quam homo fert, penes quem est potestas leges ferendi. 4. De causâ efficiente, non autem instrumentali, quales sunt omnes illi, qui à Principe in consilium adhibentur, & quorum prudentiâ ac solertiâ in administrandâ Republ. uti ipse solet: sed de efficiente principali, & quidem proximâ, qualis est is, qui summam potestatem in Rep. obtinet, sive Imperator sit, Rex aut Princeps, sive optimates, sive populus, quo de actum suprâ fuit in sectione prima.

Vera sententia probatio.

§. 2. Quibus præmissis probabilem ducimus illam sententiam, quâ Nimrodum fuisse primum inter Principes Legislatorem nonnulli statuunt, eam probantes inde, quia primus ille fuisse dicitur Monarcha, cum expressè de eo dicat Spiritus S. quod cœperit esse potens in terrâ, nec ante eum potentioris alicujus regni fastigium habeatur. Gen. 10. Jam verò, ubi Rex, ibi etiam lex, cum sine lege resp. nulla possit administrari. Hinc argumentantur, Quicumq; primus fuit Monarcha, ille quoq; primus fuit Nomotheta, Atqui Nimrod primus fuit Monarcha E. Hæc de Nimrodo. Quam sententiam ut probabilem suo relinquimus loco, probabiliorem statuentes eam, quâ Natales legum, de quibus hic loci nobis est sermo, ad ipsa civitatum & Rerump. primordia referuntur. Quando enim lex est anima civitatis, quâ sine nec multitudo in unum Reipubl. corpus coire, nec ordo in Rep. necessarius institui vel conservari potest, cum ipsius civitatis primordiis leges etiam cœpisse scribi, omninò probabile est, adeò quidem, ut quod in familiis primum usu receptum, tacito postea consensu in consuetudinem abierit.

Falsa sententia rejectio.

§. 3. Non itaque stare posse videtur Josephi sententia, qui l. contra Appionem, primam νομοθεσίαν Mosis adscribit; cum quo consentit Polydorus Virgilius lib. 2. de rerum invent. c. 1. paginâ mihi 100. Non enim hîc de solenni divinarum legum promulgatione, sed de humanis constitutionibus loquimur. Magnum cum primis errorem errant, qui eandem adscribunt Cereri, Saturni & Opis filia, Matri Proserpinæ. Ita Cicero, in Verrem de Cerere & Proserpina dicit: *A quibus initia vite, atq; victus, legum, morum &c. exempla hominibus & civitatibus*

data

data ac dispersita esse dicuntur. Plinius itidem natural. histor. lib. 7. c. 56. ait: Ceres frumenta invenit, cum antea glande vescerentur. Eadem molere & conficere in Atticâ, Italiâ & Siciliâ, ob id Dea judicata. Eadem prima leges dedit, Consentunt Diodor. l. 6. Herodot. l. 6. Hinc à Marone Legifera dicitur. Ita enim canit lib. 4. Æneid.

— — — — — Maestabant lectas de more bidentes  
Legifera Cereri.

In quæ verba Thomas Farnabius ita commentatur: Θεσμοφόρα, quæ frugibus inventis, unâ leges, urbes, civilem vitam, conjugia sanxit. Sic quoq; Ovidius 5. Metam. dicit:

Prima Ceres unco glebam dimovit anatro;

Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris,

Prima dedit leges.

Hinc tandem factum, ut ipsi sacra celebrarentur Thesmophoria dicta, ad quæ non nisi castæ adhibebantur matronæ: ut testatur Plin. tom. 2. lib. 24. c. 9. p. m. 617. Θεσμοφόρα seu Θεσμοφεία conjuncta sunt à vocabulis θέμις Lex & Φείω fero. Nec minore animadversione digni sunt, qui Rhadamanto, Cretensium Legislatori primâ legislationem adscribunt. Vid. Plin. lib. 7. c. 56. Fuit hic Rhadamantus Jovis ex Europâ filius, Rex Lyciæ, vir gravis, justus & severus, quem ob egregiam in terris Justitiam & Severitatem ad sumtum à Platone fingunt Poëtæ, ut in mortuorū antea vitam & mores inquirat, de quæ iis sententiam pro arbitrio suo ferat. Huic adjunxerunt etiam Minõem & Æacum. Vid. Virgil. lib. 6. Æneid. & Natal. Comit. lib. 3. c. 8.

## Problema II.

An legibus in Republ. opus sit? Resp.

§. I. De necessitate legis dum loquimur, non intelli- Status con-  
gimus i. necessitatem consequentis, sed consequentiæ. Hoc est, non controversia.  
quærimus: an in statu integritatis, ubi nullum erat in homine  
vitium, inclinatio ad malum & confusionem nulla, lege opus  
fuerit: Sed an nunc, post lamentabilem lapsum, ubi homo ex  
integritatis throno deturbatus, vitiorum immersus contagio,  
lege,

lege, non absolutè quidem in qualibet Rep. sed hypotheticè in bonà Rep. opus sit. 2. Dist. inter leges consideratas *fundamentaliter*, & ratione generis, quale fundamentum, ex quo deducuntur, est lex naturæ omnibus communis, & una eademq; & *formaliter* ac ratione speciei spectatas, ubi oritur diversitas ex diversa hominum applicatione, quemadmodum principia juris apud omnes sunt eadem, non verò eadem semper conclusiones, sed diversæ: sic & inde diversæ sunt natæ leges, quæ diversitas ex circumstantiarum varietate dependet. Non prior, sed posterior acceptio est hujus loci.

Vera sententia.

§. 2. Quod itaq; quæsitum attinet, affirmativam amplectimur sententiam, eandem probantes 1. *Ab indolis humane varietate.* Argumentamur: *Ubi varij varia indolis colliguntur homines, ibi certis legibus opus est. Atqui in Rep. varij varia indolis colliguntur homines. E. in Rep. certis legibus opus est.* Majorem probamus, quia in tali morum actionumq; dissimilitudine, nisi certa adhibeantur frena, quibus & volentes & nolentes, sub justâ moderatione suo fungantur officio, corpus reip. uno impetu collabascit. Si verò admittuntur, boni in bono confirmantur, atq; proteguntur, *in ipsis verò improbis formidato supplicio refrenatur nocendi facultas.* Isidor. lib. 5. Etym. c. 20. Hinc legis hieroglyphicum *corona* est, propterea quòd certis vinculis complicata, quibus vita nostra veluti religata coërcetur. *Ut corpora nostra sine mente: sic civitas sine lege, suis partibus & nervis, ac sanguine & membris uti non potest.* Cic. pro Cluent. Minorem probat *Experientia rerum magistra optima.* Varii enim in civitate sunt cives. Hic virtuti studet sponte, alter vitiis sese emancipavit. Hic justus, ille injustus est. Robustior imbecilliori intentat injurias. Dives pauperem opprimere conatur. Laboriosus sudore, piger furtò panem acquirere satagit. 2. *Ab Exemplorum inductione.* Nulla ferè Resp. inde usq; ab ipsis mundi incunabulis, ad hæc tempora, fuit, est, vel esse poterit, quæ suis non gavisa fuerit, & gaudeat legibus. Hinc argumentum: *Sine quo nulla unquam Respubl. existere potuit, illo maximè opus est. Atqui sine lege, nulla unquam Respubl. existere potuit. E. Major per se claret. Minor jam probata est.*



ta est. 3. *Ex intrinseca summa Potestatis ratione.* Ad illam enim requiritur, ut Magistratus supremus vim quoq; ferendi & abrogandi leges habeat. Esto argumentum: *Ubi summa est Majestas, ibi quoq; leges sint, oportet.* Jam in omni Rep. summa est Majestas. E. etiam leges. 4. *Ab incommoditate & absurditate.* Quid enim absurdius esset, quam subditos teneri Magistratui obtemperare, & non intelligere, quid iste velit, quidq; facere hi debeant & cavere. Hinc legem haud frivole, *civitas publicam Linguam* veterum quidam appellare voluit. Boxhorn. *Inst. Polit. lib. 1. c. 9. de legibus pag. 166.* Eodem modo, maxima ex legum absentia oriretur incommoditas in Rep. dum praeter alia mala, introduceretur confusio, securitas, & peccandi licentia. Vide *Aristotelem lib. 1. Polit. c. 2. & lib. 3. c. 10.*

§ 3. Sed quid hic contrarium sentientes? Excipiunt. 1. *Veteres in suis civitatibus sine legum vixisse sanctione. Id quod probare volunt exinde, quia nec apud Orpheum, nec apud Musaeum, nec Homerum, vox νόμος invenitur.* Verum R. (1) A vocis hujus vel illius non-inventione ad rei negationem N. V. C. Quae enim sequela? in veterum Poëtarum scriptis vox legis non invenitur. E. illi sine legibus vixerunt. Idem est ac si dicerem: apud Ciceronem vox Echo, vox intellectus &c. non inveniuntur, observ. Buchler. catalog. vocum singul. E. Romani saxa & solitudines voce respondere non audiverunt. E. Romanenses intellectu caruerunt. (2) Deinde disting. inter vocem νόμος expressè positam: & inter vocabula æquipollentia eandem vim significandi habentia. Licet vox νόμος explicitè non extet apud citatos autores, implicitè tamen apud eosdem habetur. Inveniuntur enim Synonyma apud Homerum, ut videre licet apud *Aristot. 1. Polit. c. 2.* qui hæc Homeri citat verba:

— — — Ζευσιγένει δὲ ἕκαστον

παίδων ἢ δ' αἰλόχων i. e. *Jura dant singulinaris & uxoris.* (3) dist. inter leges scriptas: & non scriptas, quæ non nisi accidete, id est, scriptione à prioribus differunt. Hinc posito, quod olim quædam Resp. non habuerint leges scriptas, habuerunt certè leges non-scriptas. Objiciunt 2. *Quod potest fieri per legem naturæ, id non opus est, ut fiat per leges peculiare humanas.* Atqui

Reip.

*Refutatio  
sententia  
contraria.*

*Refutatio*

*Refutatio*

*Reip. gubernatio potest fieri per legem naturæ. E. Minorem probant: quia Lex naturæ sufficit ad boni maliq; discretionem.*

*Respons.* R. (1) distingv. inter legis naturæ principia: & eorum conclusiones. De *conclusionibus* si sermo sit, faciles concedimus postulatum, sed sic major erit falsa, sibiq; ipsi contradicens, quia conclusiones legis naturæ, nihil aliud sunt, quam ipsa lex humana, ceu civilis ea, ceu gentium sit. De *principiis* si loquatur minor, ejusq; probatio, negamus in totum. Nam (2) distingv. inter agenda generaliter spectata, quomodo lex naturæ potest sufficere: & inter actiones speciales variosq; casus, in vitâ civili occurrentes, ad quos determinandos lex naturæ non est sufficiens, quia, uti dictum, Lex naturæ indicat quidem agenda, sed tantum generali dispositione, casus speciales, qui frequentes sunt, & pro ratione circumstantiarum variant, non attingens. Hinc relinquitur, specialibus legibus pro statu & facie cujusq; loci accommodatis opus esse. (3) disting. inter inclinationem ad virtutem, quam suppeditare lex naturæ potest: & inter virtutis acquisitionem, quæ difficilis est, unde legibus opus erit, ne in vitiorum avia deflectamus. *Obj. 3.* Objiciunt 3.

*Leges tantum feruntur generaliter. Syllogismus esset talis: Quodcumq; tantum generaliter agit, illud adeo magnum usum non habet in specialibus. Atq; leges generaliter agunt. E. Sed resp. 1.* ad majorem, consequentiam illius non esse firmam. Generales enim regulæ specialibus exemplis sunt applicandæ. (2) Deinde ad Minorem, quod leges quidem generaliter agant, sed tamen ita, ut ex iis generaliter positis, in singularibus & specialibus nulla sit timenda iniquitas, cum Prætor corrigendi potestate gaudeat, quæ ab Aristoteles, *Ethic. c. 14.* Æquitas dicitur.

*Obj. 4.* Objiciunt 4. Quod in judiciis sæpius judicetur ad arbitrium *Respons.* R. dist. inter ordinem, in quo habentur leges scriptæ, & hæ quando adsunt, secundum eas tanquam normam judici omnino est judicandum: & inter istiusmodi causam, ubi vel nullæ adsunt leges, vel obscure vel nimis generaliter sunt propositæ, ubi iudex potest arbitrium sequi, quod tamen secundum rectam rationem debet institui, quæ in legitimâ legis interpretatione, & æquâ ad circumstantias accommodatione consistat. Pro-

Problema III.

*An cujusvis hominis ratio legis possit esse effectrix?*

Resp.

§. 1. Prænotandum 1. Duo præprimis in quavis lege sese observanda offerre, (1.) ut illa sit justa. (2.) ut ad Reip. statum & circumstantias sit accommodata. Illud beneficio fit naturæ, hoc humanæ rationis. Adeoq; lex humana, non naturæ dictamen, sed hominis rationem pro genitrice agnoscit. 2. Observandum, cuivis quidem homini competere rationem, quæ ex hoc illud valet colligere, sed non cujusvis hominis rationi competere legem sancire. 3. Dist. inter actum & potentiam. Quivis equidem homo naturaliter potentiam habet legum condendarum h. e. unumquodque individuum posset leges ferre, si requisito præditum esset necessario, & ad Majestatis eveheretur culmen: Actu autem non quivis potest sancire legem, cum non unumquodq; individuum actu possit esse Magistratus, Rex, vel Princeps &c.

*Status controversiæ.*

§. 2. Quibus prælibatis dicimus ad quæstionem datam, negativam esse amplectendam sententiam, & quidem propter sequentia ratiocinia. 1. *Cuicunq; non competit obligare & cogere, eidem nec competit condere leges. Atqui privato non competit obligare & cogere. E. privato non competit condere leges.* Majorem probamus, quia legi non tantum competit vis *directiva*; hanc enim solam si habeat & bonum saltem indicet ac suadeat, consilii non legis nomine venit: Sed & *coercitiva*, quâ compellit & urget. Jam verò coercere & ad legis observationem cogere, quis privati & non tantum in Majestate constituti esse dixerit? E. firmiter concludimus cum Platone in Dial. de regno: *Regis munus esse leges condere.* 2. *Cui non competit bonum commune & salutem totius Reip. procurare, ei quoq; non convenit condere leges. Atqui non cuivis competit bonum commune & salutem totius Reip. procurare. E. nec condere leges.* Major & minor extra controversiam sunt. E. stat illata conclusio. Confer B. Meisnerum *Dissertat. de legibus lib. 4. sect. 1. quest. 6. pag. 268.*

*Vera sententia.*

C

Proble-



Problema IV.

Status con-  
troverfia.

An omnes omnibus Rebusp. leges conveniant? Resp.

§. 1. Ante omnia hic distingv. inter legem *fundamentaliter*: & inter legem *formaliter* acceptam. Sive inter legem *ratione generis*: & *ratione speciei* consideratam. Genus & fundamentum, ex quo leges deducuntur, est lex naturæ. Hæc, uti in superioribus fuit monitum, omnibus una est & eadem. Ipsa verò forma & specialis ratio sunt leges humanæ. De his quæritur, an eadem, an verò pro ratione circumstantiarum diversæ esse debeant?

Vera senten-  
tia.

§. 2. Nos negativæ subscribimus, eamq; probamus hoc argumento: *Ubi variat status, ibi debet variare lex. Atqui in Rebusp. diversis variat status. E. in Rebusp. diversis variare debet lex.* Major firma est, alius enim status est Monarchicus, alius Aristocraticus, & sic porrò. Major probatur exinde, quia omnis Resp. imperiò indiget, imperium autem fit per leges. Sicut E. non omnis populus imperio potest regi Monarchico, nec omnis Aristocratico, nec omnis Democratico: ita nec omnis populus vel Resp. iisdem potest gubernari legibus. *Quemadmodum*, inquit Excell. D. Meisnerus lib. 4. de legib. sect. 1. quæst. 15. p. 324. *Reip. variat status & varia variorum subditorum sunt ingenia, & varia loci temporisq; est ratio: ita etiam varia & discrepantes leges hinc inde ferri necessum est.* Benè Philosoph. lib. 4. Politic. c. 1. *Leges omnes ad Remp. sunt accommodandæ, non autem Resp. ad leges.*

Contraria  
sententia  
refutatio.

Obj. 1.

Resp.

§. 3. Qui contrarium statuunt, quos inter Nicolaus Petrus agmen ducit, Objiciunt 1. *Si unum idemq; est virtutis medium & unica via, leges non sunt varia, sed ad easdem omnis Resp. est accommodandæ. Sed prius est. E. Connexionem probat Petrus his verbis: noverint unicum esse medium, unicam virtutis viam, unicam veritatem, à quâ si recedunt defectus vel excessus actutum damnantur.* Resp. Cum Excell. Dn. D. Michaële Wendelero in Instit. Pract. part. 2. pag. 737. 1. Concedendo antecedens, unicum quidem esse medium virtutis, sed tale, quod habeat magnam latitudinem. Hinc 2. Negamus connexionem

nexionem majoris. Nam per virtutem quidem omnes tendimus ad honestatem, sed non per unam specie virtutem, nisi absurdè concedatur, Fortitudinem esse Temperantiam, Temperantiam esse Liberalitatem & sic porrò. Unus E. est virtutis scopus, sed via ad virtutem potest esse diversa. Neq; 3. obstat, quòd unica sit veritas, quia valet id subjektivè, non objectivè. Rectè igitur 4. Dn. D. Wendelerus l. c. *Datur, inquit, maxima virtutis latitudo, à quâ qui planè recedit, iste peccat vel in excessu, vel defectu.* Neq; enim eadem vel *Temperantia, vel Fortitudo, vel Liberalitas, vel etiam Prudentia simpliciter & ab omnibus potest postulari. Majora enim Liberalitatis effecta requiruntur à divite, quàm à paupere, à Cesare, quàm à Principe, à Principe, quàm à cive: Major Temperantia à Studiofo, quàm à milite; à muliere, quàm viro: Major Prudentia in consule esse debet, quàm in Senatore: sic quoq; major modestia in templo, quàm campo aut foro: major Sobrietas tempore luctus, quàm gaudij.* Hæc licet ex Ethica sint deprompta, tamen non malè similis dicitur esse ratio in Politicâ. Hinc benè citatus Dn. D. Wendelerus, *Sic leges, inquit, in statu Monarchico sunt rectæ, rectæ sunt in Aristocratia, rectæ deniq; in Politia. Sed major virtus inest legibus, quas Monarchia habet, Minor quas Aristocratia, minima, quas Democratia &c.* Obj. 2. *Quicquid verbo divino contrariatur, non est statuendum; sed ferendas esse leges Reip. convenientissimas contrariatur.* E. Resp. Concessâ Majore, negamus Minorem. Si enim leges Rebusp. convenientissimæ statuuntur, non statim illæ leges malæ erunt, & verbo DEI contrariæ. Consistit enim legum vis in obligatione, quam non malè animam earundem dixeris. Cùm verò pravitas & malitia non obliget hominem, neq; Legislatores ferendo leges Rebusp. convenientissimas, id statim præcipere putandum est, quòd à veritate cœlesti homines abducat. Falsa ergò est hypothesis, quòd Lex convenientissima, non simul possit esse optima, si non absolutè, tamen respectivè, si non in omni Rep. tamen in illâ, in quâ pro ratione temporis, loci, morumque populi, fuit condita.

Obj. 1.

Resp.

C 2

Proble-



Problema V.

*An Lex Principem seu Legislatorem obliget? Resp.*

*Status con-  
troversie.*

§. 1. Vexata hæc est inter Jctos, ut & Politicos quæstio. Nihil ferè in ore magis est omnium, quàm illud ex lib. 1. ff. Tit. 3. Jureconsultorum: *Princeps legibus solutus est.* In quo rectè explicando mirum in modum sese macerant plurimi. Nos, in quantum hæc de re philosophari licet, rem paucis dabimus expeditam, quod ut eò commodius fiat, pauca sunt præmonenda. Nempe I. Observ. Principem considerari tripliciter 1. ut hominem. 2. ut Christianum. 3. ut Legislatorem seu Regem. *Ut homo* quando consideratur, lex naturæ circa ipsum perpendenda est. Et hæc Rex seu Princeps solutus non est, quia lex naturæ omnes omnino homines obligat, ut notum est, & indubitatum. Errarunt itaq; Cambysis Persarum Regis Judices seu Consilarii, ex quibus, cum Cambyfes Germanam suam in matrimonium ducturus, hoc ut inusitatum antehac apud Persas, percontaretur; num lex esset, quæ cum Sorore vincula nuptialia necere permetteret, ob metum Tyrannidis id dederunt responsi: Nullam se istiusmodi legem apud Persas invenire, sed aliam se reperiisse, quâ liceat Regi facere quicquid libet. Herodotus in Thaliâ. Errasse hos diximus, cum repugnet id facinus legi naturæ, quâ saniores Gentes ejusmodi conjunctione abhorruerunt, ut memorabilis testatur historia, quam referens Plutarchus c. 52. dicit, quòd Macarius, Æoli Regis Thuscorum Filius, Sororem suam deperierit eamq; deflorarit; De quâ re mater certior facta, filia stupratæ gladium misit, quo se ipsam interficeret, quod cum eadem effectum reddidisset, idem paulò post à Macario factitatum fuit. *Ut Christianus* quando consideratur Princeps, lex divina circa ipsum ponderanda est, & ab hæc iterum Princeps solutus non est. Subditus enim DEI est, imò servus supremi Legislatoris, ut loquitur Agapetus Diaconus apud Stobæum serm. 32. Tandem *ut Legislator*, seu *ut Rex*, quando consideratur Princeps, aliter sese res habet, ut paulò post dicturi sumus. Hic ergò 2. Distingv. inter legem *coërcentem* & *dirigen-*

& dirigentem, ut loquuntur, seu inter vim legis coactivam: & directivam. Vis legis directiva est, quam non habet ideò, quia lex est, sed quia præscriptum virtutis est. Juxta hanc Princeps, si bonus Rex esse cupit, legi seipsum obligat, non absolutè, sed ex hypothesi, quia scil. vir bonus esse vult, quia conscientia consulere, subditis præluere, & nominis splendorem integrum conservare studet. Huc pertinet illud Ansonii in Pythaco:

Pareto legi quisquis legem sanxeris.

Huc spectat illud Plutarchi: Regula primùm recta sit oportet, deinde quæ applicentur, corrigat: ita Princeps, primùm ipse vitiis careat necesse est, deinde aliis leges præscribat. Solon rogatus, quomodo civitas in optimo statu degeret? Respondit: si cives quidem Magistratui obediant: Magistratus autem legibus, referente Plutarcho. *Eò omnis vita nostra ratio transmittenda est, ut magnam nostri nominis famam, ex maximis in Remp. meritis collatis, posteris relinquamus, ut monet Cicero in Vat. Frustrà doces, si exemplo noces, communi dicitur Proverbio. Et pulchrè canit Claudianus:*

*In commune jubes si quid, censesve tenendum.*

*Primus jussa sibi: hinc observantior aequi*

*Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum.*

*Autorem parere sibi: componitur orbis*

*Regis ad exemplum, nec sic inflectere mentes*

*Humanas edicta valent, quàm vita Regentum.*

Cogitet Princeps bonus, quòd divina vindicta eò gravior fuerit, quòd gravius peccet, & pluribus peccandi occasio exemplo suo existat. Legem bonam qui transilit, semper immediatè contra DEUM peccat, ut ait D. Jacob. Martin. lib. 2. Politic. pag. 621. 3. Distingv. Inter leges communes: & leges speciales. Communes sunt, quæ in solos subditos non cadunt, sed etiam Principem obstringunt, ut sunt gradus affinitatis Jure humano prohibiti &c. Speciales sunt, quæ non Principem, sed solos tangunt subditos, ut sunt leges de nonnullis contractibus, testamentis & similibus. Loquimur de specialibus, non de communibus. 4. Aut queritur: An Rex leges servare



teneatur, & si transgressus fuerit, pœna afficientibus sit; quod non conceditur; Legibus enim pœnariis Rex est solutus, si non respectu obligationis, tamen respectu executionis. Aut quaeritur: An Rex, licet pœna affici non possit, delinquat tamen si contra leges aliquid admittat? Ubi 5. distingv. inter leges Majestatis: & à Majestate latis. Statuimus Regem non esse solutum legibus Majestatis, utpote ad quas tanquam ad Cynosuram & regulam omnia suæ administrationis negotia referre tenetur; à suis tamen legibus, quas ipse tulit omnino videtur esse solutus Princeps.

*Vera sententia confirmatio.*

§. 2. Et hoc probamus aliquot argumentis: Nam argumentamur: (1.) *Quicumq; habet Potestatem legis sancienda & abroganda, ille non potest obligari legibus, quas ipse sanxit. Atqui Rex habet potestatem legis sancienda & abroganda.* E. Majorem probamus, quia si obligaretur sancitâ lege, statim pro lubitu posset eam abrogare, adeoq; tolleret suum vinculum. Minorem supra in sectione I. dedimus probatum. Manet E. conclusum. Argumentamur (2.) *Regi non fertur lex. E. Rex non obligatur lege.* Consequentia firma est, quia quomodo is, cui lex non est lata, lege dicetur obligari? Jam verò non Regi, sed populo est lex lata. 2. Minor firmatur, quia à vi superiore leges fiunt, sin secus meritò ridendæ, ut leges leporum, in leones latæ, ex fabulâ Antisthenis 3. Polit. c. 13. Pulchrè hæc de de re D. Jacob. Martin. lib. 2. Politic. c. 19. pag. 611. inquit: *Leges in summam Majestatem late, aut sunt à superiore, aut à subditis, aut ab equali, aut ab ipsâ Majestate.* Non à superiore, quia talem non agnoscit: non à subditis: implicat enim contradictionem si subditi dent leges, quas accipere debent: non ab equalibus; nam neq; tales habet. Quod enim solum supremum est, id æquale habere nequit. Non enim possunt duo summa dari & c. Non tandem ultimum potest concedi. Nemo enim potest se ipsum cogere. Argumentamur (3.) *Quo non datur superius, ille legibus obligari non potest. Rege non datur superius.* E. Major probatur, quia qui legibus constringi debet, superius quid omnino habeat, quod timeat, necessum est. Minor patet, quia contradictorium est, summum esse, & habere quid superius. Non



Non enim potest idem simul esse & non esse. Itaq; si Majestas illa meretur summa dici, non potest esse non-summa vel infima. Non-summa autem est, si quid superius habet. Argumentamur (4.) *Qui nulli homini subiectus est, illum homines pœnâ afficere non possunt. Atqui Rex nulli homini subiectus est, quia soli DEO. E.*

§. 3. Restat, ut potissima adversæ partis argumenta evol-  
vamus. Objiciunt 1. *Si Rex non subicitur legi. E. vivere ipsi concessum est, quo-tandem-cunq; velit modò, contra rationem san-  
nam, virtutumq; rectitudinem.* Resp. dist. inter leges, ut sunt leges: & ut sunt rationes. Non statim qui legibus Regem exi-  
mit, eundem rationi eximit. Vir bonus debet esse Princeps, licet non sit vir subiectus. Distingunt alii inter civile & ser-  
vile, inter honestatem & necessitatem. Honestati Princeps stu-  
deat, necessitati nulli subiectus est. Obj. 2. *Si Rege populus superior, sequitur quod Rex subiectus esse possit & debeat. Atqui verum est prius. E. & posterius.* Antecedens probant, Quia  
constituens semper superior est constituto, Atqui populus constituit Regem. E. Ita argumentatur Zacharias Papa in E-  
pist. ad Gallos. Resp. (1.) Ad Prosyllogismum, eundem qua-  
tuor laborare terminis. Vox *constituere* enim aliter sumitur in majori, aliter in minori. Nam constituitur aliquis vel supra nos, vel infra nos. Infra nos si quis constituatur, ut servus, mercenarius &c. vera est major, atq; sic facta minor. Supra nos si quis constituatur, ut Pastor, Professor, Imperator, vera est minor, sed sic fallit minor. (2.) Inter constituentem & con-  
stituendum quidem est æqualitas, sed inter constituentem & constitutum nulla est æqualitas. Optimè Valentinianus militi-  
bus respondit: *Ut me ad Imperatorem vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate: At verò postquam me jam elegistis, quod peti-  
tis in meo est arbitrio, non vestro.* Niceph. lib. II. c. 1. Sozome-  
nus lib. 6. Eccles. hist. c. 6. Objic. 3. *Si Rex non vult obedire legibus, removendus est à throno.* Resp. Quis removebit? Er-  
gonè se Rex habet ad subditos, ut chirurgus ad vulneratum, qui eò ramdiu uti potest, quàm diu lubet & liber? Non certè. Constituendi non destituendi populus potestatem habet.  
Quod

Obj. 1. Re-  
jectio sen-  
tentia con-  
traria.

Resp.

Obj 2.

Resp.

Obj. 3.

Resp.

Obj. 4.

Quod si contingat, ut removendi quoq; Potestatem retineat populus, nominatenus saltem Rex erit, non verè, non absolute. Obj. 4. *Quicumq; legibus natura subjectus est, ille etiam legi humane subjicitur. Atqui Rex legibus natura subjectus est. E. Majorem probant, quia leges humane ex naturalibus erecte sunt, cumq; iisdem exactè congruunt. Transiliri idcirco non possunt, quin simul leges natura violentur, quod magnum sanè piaculum est.*

Resp.

Ref. Majoris consequentia est nulla. Nam leges, quatenus humane sunt auctoritatem suam non accipiunt à naturâ, sed ab hominibus.

### Problema VI.

*Utrum prestet, si Resp. ab optimo Rege, an ab optimâ Lege administratur? Resp.*

Diversi Auctores.

§. 1. Est hæc ea ipsa quæstio, quam olim Bulgarus & Martinus inter se ventilarunt; quorum ille, ab interveniente arbitro Friderico Barbarossâ, potestatem unius, quam tandem cumq; vellet, sancienda legis, quippe Regem Legi subesse contendens, accepit: Hic, qui Legem Regi subjectam disputabat, galero purpureo & equo candido, utpote adulator, donatus. Autor Novell. Antiq. Novel. 24. Uterq; adhuc quàm plurimos habet sectatores. Sed medio tutissimus ibis! Nos itaq; nec equum, nec legisferendæ potestatem anhelantes, cum prudentioribus dicimus, neq; Legem solam, neq; Regem solum, bene Remp. administrare posse, sed utrumq; esse conjungendum, ita, ut Rex imperet juxta Legis normam & formam. Non enim Optimo Magistratui Lex est opponenda.

Vere sententia probatio.

§. 2. Probamus assertum 1. *in genere*, quia sic omnia aliàs metuenda pericula tolluntur, & vicissim omnia aliàs ab alterutrâ parte speranda commoda amicissimè conflantur & colliguntur. 2. *In specie*. Nempe optima lex requiritur ob mortalium imbecillitatem, cui optimus est adjungendus Magistratus ob æquam legis interpretationem justamq; executionem. Ponamus enim in quadam Rep. optimas dari leges, Magistratum verò injustissimum, leges certè Reip. nihil proderunt.

§. 3. Con-

§. 3. Contrarii qui nobis sunt, objiciunt 1. qui pro Rege so- *Sententia*  
lo dicunt, *Nullam esse comparationem inter mutum & loquen-* *contrariae*  
*tem.* Rex loquens, lex muta est. Ut igitur norma nihil po- *refutatio.*  
test sine artifice, ita etiam lex nihil potest sine Rege. Adeoq; *Obj. 1.*  
Regi soli committendum imperium. Sed R. I. Committitur *Respons.*  
fallacia Compositionis & Divisionis. Lex cum Rege & Rex  
cum Lege debet gubernare. Hæc non divellanda. Nec 2. sta-  
tim sequitur, loquentem mutum esse præferendū. Disting. enim  
inter præminentiam Physicam; & Politicam. Physicè vi-  
vens non-viventi, musca cælo præfertur. Sed non statim id  
valet in omnibus. XX. tonni auri sunt res muta, illos tamen  
tempore belli exercitus haud temerè præfert saltandi alicui &  
loquaci rustico. *Obj. 2. Quod Resp. magis Regi, quàm Legi* *Obj. 2.*  
*serviat, cùm legi desit gladius, quem tamen Rex habet, quo pu-*  
*trida Reip. membra amputantur..* R. Lex & Rex conjunctim *Respons.*  
habent gladium h. e. potestatem condemnationis. Qui enim  
legem violat, pœnam incurrit; qui Regem lædit, pœnam in-  
currit. Quòd si objectio intelligatur de exteriori gladii, vi-  
bratione & actuali decollatione, dicimus hoc neutri compe-  
tere, sed tali, quem horrent omnes, veneratur nemo. Ab al-  
tera parte objiciunt 3. *Quod caret affectibus, per id tutius ad-*  
*ministratur Resp. Lex caret affectibus.* Est enim regula Justi-  
tiæ, quæ justior ipso Magistratu est. Et licet optandum sit, in-  
quiunt, ut Magistratus daretur, nullis qui agitur affectibus:  
in hæc tamen vitâ talis vix expectandus. E. R. I. ad Majorem.  
Non sequitur simpliciter, quod affectibus caret, per illud tu-  
tius administratur Resp. Subsumo enim, Virga Aaronis &  
pedum Davidis nullis affectibus agitantur. E. per illa optimè  
administrari potest Resp. 2. Ad Minorem, si Magistratus &  
Lex jungantur, nulla timenda affectuum tempestas. Lex  
regnet, Rex regnet, neuter neutri repugnet, & felix erit  
Resp. Rectè Archidamus roganti, Quinam essent Spartani  
civitatis præfeti? *Leges, respondet, ac legitimi Magi-*  
*stratus. Plutarchus.*

D

Pro-



Problema. VII.

An ad Legem, si obligare debet, requiratur promulgatio? Resp.

Status controversia.

§. 1. Circa statum controversiæ 1. distinguendum inter vim obligativam, & ipsam obligationem. Sive distingv. inter actum primum: & actum secundum. Ad vim obligativam, uti B. Meisn. lib. 4. de legib. sect. 1. quæst. 9. pag. 295. differit, non requiritur publica promulgatio in omnibus communitatibus, sed sufficit, si lex in aulâ Principis concepta, confirmata & in loco regni primario, tanquam communis regula, solenniter promulgata sit. Aliàs enim nemo posset dici legem ex ignorantia violare. Quæ enim planè legis rationem non habent, illa non transgredimur. Sed requiritur ad obligationem. 2. Inter promulgationem specialem seu individualem: & generalem. Non quæritur de speciali, h. e. an Lex cuius singulari & individuo, tibi, mihi, illi, isti, Petro, Paulo, annunciari debeat & explicari; sufficit enim, si toti communitati fuerit prælecta, sive præscripta, cui si quis se subduxerit, ignorantia velamine se tegere non poterit, cum sit ignorantia, uti vocant, vincibilis, quâ quis ignorat, quæ scire poterat, & ignorantia juris humani promulgati atq; recepti; quarum neutra excusat; sed quæstio est de promulgatione generali facta toti populo, ut unum corpus considerato.

Vera sententiæ probatio

§. 2. Hisce ita positis, affirmativè ad quæsitum respondemus, idq; ideò, 1. Quia lex est norma & mensura nostrarum actionum, secundum quam vita est instituenda. Quomodo autem secundum normam operari quis debet, nisi normæ notitiam habeat? 2. Quia juxta Canonem, ubi nulla legis cognitio, ibi nulla est prævaricatio. Unde quamprimum lex fuit proposita, sive scriptis sive verbis, ita, ut ad notitiam subditorum pervenerit, statim inde nascitur obligatio, nisi Lex ipsa certum tempus præstituerit. Et licet lex per ipsam sui promulgationem obligandi vim habeat, ipso tamen actu illos solum sub peccato vel pœna obligat, quibus vel ea est cognita, vel qui ipsi ejus cognitionem respuerunt.

Rejectio sententiæ contrariæ.

§. 3. Adversarius hic nobis est Gregorius de Valentia, sufficere putans ad obligationem totius Ecclesiæ, si legum promulga-

*mulgatio Romæ fiat. tom. 2. disp. 7. q. 5. pun. 5. col. 947.* Ast dicit, non probat, stat ipsi pro ratione voluntas. Imò ipsi Papales refutant eum, expressè enim jus Canonicum *dist. 4. c. In istis dicit: Leges instituuntur, cum promulgantur.* Hic quoq; observa, quòd Jure legum ferendarum in Ecclesiâ Papa non quidem gaudeat, cum tamen de facto id sibi imaginetur, Nostrates rectè dicunt, eum teneri legum suarum peristromata omnibus suspendere, si obligationem postulare conetur.

### Problema VIII.

*Utrum Lex merè civilis positiva, factâ promulgatione, obliget in conscientia? Resp.*

§. 1. Ante omnia prænotandum hîc est, quid sit obligare in conscientia? Nempe obligare in conscientia est ita obligare, ut juxta practicum rectæ rationis dictamen aliquid faciendum sit, vel omittendum, adeoq; si quis agat contra, in ipso conscientia vel Dei foro committat reatum, & pœnam, quâ commissum crimen divinitus vindicetur, incurrat. Sensus ergo quæsitus est: Numquid leges humanæ violatæ, non in foro tantum exteriori ad pœnam, sed simul etiam in interiori ac conscientia foro ad culpam obligent?

*Preparatio.*

§. 2. *Calvinus lib. 4 institut. c. 10. s. 2. & 5.* defendit negativam. Alii simpliciter affirmativæ subscribunt. Alii hypotheticè & indirectè quæsitum esse affirmandum ducunt, quod qui potestatibus resistit, ordinationi Dei resistit, Rom. 13. 2. Quicumque autem Dei resistit ordinationi peccat contra conscientiam.

*Varia sententia.*

§. 3. Distinctè nos cum aliis præcedimus, distinguentes i. inter ipsas leges, quæ vel ex ipso jure divino & de rebus divinis feruntur. Magistratus enim utriusque & primæ & secundæ tabulæ est cultos, & hæ violatæ obligant conscientiam: vel feruntur de rebus humanis, & quidem iterum, vel contra sacras literas & legem naturæ, quibus non Christiana tantum Libertas evertitur, sed & hominum conscientia gravantur, si illis obtemperandum sit. E. G. Quando Lex Platonis & Aristotelis jubet abortus fieri, ne civium multitudo nimis excrescat. Boter. l. 1. de Politia illustr. p. 94. Et Pharaon Exod. 1. mulieribus

*Decisio.*

D 2

Egy-



*Aegyptiacis* imponit, ut pueros *Israëliticos* in partu suffocent: vel *de rebus humanis* verbo *Dei* nec expressè prohibitis, nec mandatis. Et harum transgressio est vel voluntaria & malitiosa, quæ obligat conscientiam: vel orta ex improvise & debilitate carnis, & nullo peccandi studio, & hæc non obligat conscientiam. 2. *Inter leges*, quibus jubentur vel prohibentur actiones morales in se indifferentes: & *inter leges*, quibus negotiis civilibus forma quædam est præscripta. Priores quia bono publico ac hominum moribus exigentibus sunt conditæ, ipsasq; actiones morales licitas reddunt & illicitas, obligant in conscientia ita, ut qui adversus eas sciens ac volens peccat, incurrat reatum. Posteriores autem, quia obedientiam propriè non exigunt, sed saltem, quid agendum sit, ordinant simpliciter, non tam præcipientes quàm dirigentes, non inducunt culpam ac reatum, sed si non fuerint observatæ, actum solummodo efficiunt nullum, vel aliam quandam poenam injungunt.

Problema IX.

*An utiliter Magistratus ferat leges de certis induendis vestimentis?* Resp.

*Varia sententia.*

§. I. De Alexandro Severo legimus, ipsum certis officiis ac dignitatibus certa assignasse vestimenta. Idem cum nonnulli ipsum viliori amictu contentum admirarentur, hoc responso suum defendebat factum: *Imperatoria Majestas virtute constat, non corporis cultu.* Ita *Ælianus* autor est, *Lacedæmoniorum Ephoros* s. summos Magistratus quotidie obire solitos ad inspectionem vestium, ne quid à decenti ornatu alienum usurparetur. Laudat eosdem *Lacedæmonios Clemens Alexand.* quòd solis meretricibus floridas vestes & aureum mundum gestare concederent. Simili modo *Athenæus* ex *Plutarcho* testatur, apud *Syracusanos* fuisse cautum, ne mulieres ornatae auro incederent, nec florido vestitæ essent, nec purpureos haberent contextus, nisi forte publica esset meretrix. Unde & *Dionysius Syracusanus junior*, cum singulos maleficos gravissimis semper afficeret suppliciis, his tamen ignoscebat facilè, qui vestium & ornamentorum essent fures, quo *Syracusanis* à

fani à luxu magis abstinerent. Apud Romanos lege Oppià interdictum erat, ne mulieres versicoloribus induerentur vestimentis. Et egregium est Augusti, quod celebrat Svetonius, dictum: *Vestitus insignis ac mollis, superbia vexillum est, nidusq; superbiae.* Idem in multis adhuc Rebus observari publicis, in quibus cuilibet civium ordini certa vestimentorum genera, & certa eorundem pretia constituuntur, ipsa docet experientia. Institutum Severi displicuit Ulpiano, qui motus ab incommodis subsequitur, Severo contradixit. Nam pauperes risu exponerentur, eò quòd non induti essent vestimentis suo ordini competentibus, quæ sibi parare ob paupertatem non possent: ditiores verò perpetuas moverent rixas, quòd sibi non liceret induere vestimenta, quæ absq; suarum facultatum detrimento comparare possent.

§. 2. Prænotandum, non hîc agi de legibus, quibus moneri homines debeant, ut meliora sibi prospiciant vestimenta; siquidem in defectu circa vestitum non facile quempiam peccare deprehendas: Sed de legibus vestiariis, quibus subditi admonentur, ne in excessu peccent. Et tales leges ferri à Magistratu optimè posse, probamus 1. *A causa impellente.* Quicquid impellit ad virtutum cultum, illud in bene constituta Rep. observandum est. Atqui Leges vestiariæ impellunt E. 2. *A causa conservante.* Leges vestiariæ suo modo conservant justitiam, quia secus subditi corporis cultui nimis addicti, & inde facilè ad paupertatem redacti, vel dolosè negotiarentur, vel manus alienis bonis admovere cogerentur. 3. *Ab utilitate.* Leges de certis induendis vestimentis conditæ prohibent 1. *Levitatem*, quæ res consuetas abjicit sine causâ, novas arripit sine iudicio, nullamq; adeò rationem habet retinendi famam honestam. 2. *Immodestiam*, quæ personæ negligit decorum, siquidem studium humanitatis homines exigit pravis cupiditatibus minimè indulgentes. 3. *Superbiam*, quæ supra alios se effert, & insolenter se ostentat. 4. *Stultitiam*, quâ Æsopici isti graculi penitus occupati amant & eligunt indecora & prudentibus invisâ. 5. *Lasciviam*, quæ pravas proddit & irritat cupiditates. Pambo, cum apud Athanasium de-

*Status controversia.*

*Vera sententia probatio.*



geret Alexandriae, conspicatus foeminam maximo vestitus apparatu superbientem, flevit; interrogatus cur id faceret: *Defleo, inquit, hujus mulieris perditionem & meam ignaviam, quod non tantum studeo placere Deo vitæ innocentia, quantum hæc mulier turpibus cupit placere hominibus.* Verè equidem, quia pluri in cultum corporis omnem impendunt operam, reliquis laboribus neglectis, juxta illud Comici: *Dum vestiuntur, dum comuntur, annus est.* 6. ἀταξία. Nam si ordo inter vestimenta negligitur, ordines & officia, quæ Deus ipse constituit, inter se dignosci non possunt.

S. 3. Argumentum Ulpiani Severo oppositum à severitate & honestate, est planè alienum. Nam hæc ratione nulli certi ordines certaq; officia essent constituenda. Pauperes quod concernit, hos non facilè in excessu peccaturos constat, proinde talis eis vestitus esset concedendus, quem comparare possent, vel eis à Magistratu esset subveniendum, quod in multis observari Rebusp. solet. Ditiore ob rixas, quas sine sonitica causa moverent, essent coërcendi, non obstante, quòd ipsis nummorum suppetat copia, cum non quid possint, sed quid debeant, veniat attendendum.

Μόνη τῶν θεῶν ἡ δόξα.

Præstantissimo Dn. M. RESPONDENTI.

**Q**uod septa cultis, civitati sunt sue  
Leges, superbis fortiores manibus,  
Hosti gravis que posuit armorum pater.  
Sed ferre justas, profuturas seculis  
Post hæc ituris, non nisi sapientis est.  
Has principum primarias ut differis,  
Mi POLE, partes: sic remansuram tibi,  
Faber ipse fortuna tua pulcherrimus,  
Laudemq; circumfundis & nomen pium;  
Quod patriæ tibiq; letus gratulor.

Johannes Ericus Ostermannus P.P.  
& Acad. in præsentem Rector.

Per



**P**er mare, per terras currit Mercator, ut aurum,  
Spe lucri captus, comparet ipse sibi.  
Te, Patriæ Spes magna tuæ, tolerare labores,  
Quam colis assiduus, docta Minerva jubet.  
Gratulor euge! tibi, procedis tramite recto,  
Tramite, quò feries lucida signa POLI.

*Dn. Autori & Respondenti, Amico Charissimo  
& Auditori assiduo L. M. Q. fac.*

Johannes Andreas Quensted D. P. P.

---

Ad Eximium Dn. M. Respondentem, Auditorem  
meum diligentem.

**Q**uis rectè figat leges, legesq; refingat,  
In thesibus scriptis, optime POLE, doces.  
Opto, habeas faciles aditus, facilesq; recessus,  
Atque tuos sensus omnibus arte probes.  
Ipse tuis Musis semper servire paratus  
Exequar, insigni que facienda viro.

Michaël Wendelerus D. & P. P.

---

**N**uminis & Procerum benè Civis vivit in urbe  
Legibus: at paucis intima nosse datum.  
Hinc Te POLE Virum, referans abscondita legum,  
Præstas. Lex referet digna labore Tibi.  
*gratulab. fac.*

PRÆSES.

---

**D**um POLE declaras, quid sit veneranda Potestas  
Signandi leges, optima queq; doces.  
Hinc spondere licet, Patria Te grande futurum,  
Esse decus; Perge, ac ibis ad astra POLI.

Clarissimo Dn. Magistro Autori & Respond.  
Commensali ac Amico suo integerrimo  
prolixiolem affectum contestandi Ergo  
hæc apponere voluit

M. Johannes Kirchhoff Ostervvigâ Saxo.  
Felix

**F**elix cui pulchrum contingit nomen, & illud  
Complacitum est factis condecorare suis!  
Hoc utrumque Tibi contingit, Clare MAGISTER,  
Namque *Poli* astriferi nomen & omen habes.  
Cum, cœlum veluti noctuq; diuq; movetur,  
Sic tua te faciat Cura laborq; POLUM.  
Perspicuum est cœlum. Similem quis te esse negabit  
Illi perspicui simplicitate styli?  
Quâ ignaris sumi tua dissertatio verbis  
Ignaros legum dogmata dîa doces.  
Cætera mitto lubens, *Pole* tot tibi fausta precatus,  
Nocte soporiferâ quot *Polus* astra vehit,  
Et moneo ut pergas, Patriæ sic ominor almæ  
raX nostræ tanDeM & steLLa poLarIs erIs.

*Ita Clarissimo Dn. M. Autori optimi nominis  
felicissimi ominis gratiâ acclamat Concivis  
Thomas Stampelius.*

**P**ictores veluti celebres exponere templis  
Artis amant large munera culta sua:  
Publicitûs documenta novâ sic sedulitate  
Nobilis ingenij, *POLE* polite, probas.  
Ilicet ignis edax ad summa cacumina tendit:  
Sic nequit & remoram ferre sagax animus.  
Conscendis Cathedram, declaras mente sagaci  
Doctis, suppellex sit tibi quanta domi.  
Maçte! viâ ceptâ, tua virtus sordida vulgi  
Nomina despiciet, splendida, laudis amans.  
Ecce tuo nuper capiti condigna probato,  
Laurea ferta puto, dîa *SOPHIA* dedit.  
Inde quid elicio? procul hand à stipite Clari  
Patris, Gnate, cades, ardua queq; petens.  
Sic tua perpetuò clarescent nomina Doctis,  
*POLUS* & in terris staudet ad astra *POLI*.

*Amicissimo Domino Sympatristæ sic  
animitûs congratulatur*

**Stephanus Kniper/Revaliâ-Livonus.**


**F I N I S.**



ULB Halle


3


005 122 49X



V.17







כשם יהור  
DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
EX POLITICIS

1662 30 4  
12 13

De  
**NOMOTHESIA,**  
Seu  
**POTESTATE LEGISLATORIA.**

QUAM  
In Illustri ad Albim Academia  
Sub PRÆSIDIO  
VIRI Clarissimi atq; Doctissimi  
DN. M. GEORGI MEIERI, Lunæb.  
Colleg. Philosoph. Adjuncti meritisimi, Fautoris  
& Amici ætatem colendi ac de-  
venerandi,  
publicæ ventilationi  
exponit

M. JOHANNES POLUS,  
Revaliâ - Livonus,  
Autor & Resp.  
d. 9. Julij, H. Lq; C.

\*\*\*\*\*  
WITTEBERGÆ,  
Typis MICHAELIS Wendt.  
ANNO M DC LXII.